

XXVIII.

Hic sita Richardis, iam libera carcere carnis,
 Terris sublata iacet in terris tumultata.
 Nexibus hanc fragilis vitae subduxit Aprilis,
 Luce Kalendarum primam subeunte Nonarum.

XXIX.

- Heu! Gerlandus eram; modo sum nihil, aut Epicurus
 Mentitur, veri si quid habet Samius;
 Sed tamen et Samius et Chrysippus sine vero
 Attribuunt sectae pondus utrumque suae.
 5 Neutrius admitto dictum vel inane sophisma;
 Neuter enim dicet: post sua fata probo.
 Heu! Gerlandus eram, sed nunc sine corpore nomen
 Restat, utrumque tamen interiisse reor.
 Vox prolata perit, 'nescit vox missa reverti'¹,
 10 Vox perit, et vocis significata labant.
 Heu Gerlandus eram, sed nunc in pulvere pulvis
 Atteror; omnipotens rex miserere mei!

XXX.

- Femina prima fuit erroris origo, ruinae
 Inicium, mortis fomes et interitus.
 Femina virgo dei genitrix commissa prioris
 Abluit, interitum sustulit, auxit opem.
 5 Virginis hinc prolem, sponsum sibi virgo pudica²
 Delegit fatuis dissona virginibus.
 Haec virgo sapiens oleum cum lampade munda
 Protulit et media nocte secuta deum.
 Ipsa die Maii quae transit ante kalendas
 10 Quatuor atque decem carne soluta fuit.
 Annus erat domini millesimus, huic quoque centum
 Atque³ duos menses sol celer addiderat.

XXXI.

Transitione brevi fuit usus⁴ labilis aevi
 Pro levitate brevis, pro brevitate levis.
 Indolis ergo bonae puer, aegra transitione
 Heinricus misere fit cinis in cinere.

XXVIII. fol. 74a I. XXIX. fol. 74b I. XXX — XXXVI.
 fol. 74a II.

1) Horat. Ep. ad. Pis. 390. 2) 'pudi caca virgo' c. 3) 'ad-
 que' c. 4) v' d. i. 'unus' c.